

**Quaestio medica pro baccalaureatu : mane discutienda in almâ
Monspeliensium medicorum academiâ. Die 18. Martii ann. 1713. / R. D.
Antonio Deidier ... praeside. ; An partui difficili hysterotomotokia? ;
[Propugnabit Joannes Mailhes ...].**

Contributors

Deidier, Antoine, -1746.
Mailhes, Jean, active 1713.
Ecole de médecine de Montpellier.

Publication/Creation

Monspeli : Apud Honoratum Pech, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis
typographum, 1713.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dskmyjfy>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



CLARISSIMO VIRO

D. D. PAULO SOULAGES

Doctori Theologo, Priori à Sancto Pontio

D. D. D.

In perenne amoris, gratitudinis & obsequii monumentum

Nepos observantissimus

JOANNES MAILHES Francopolitanus apud Ruthenos.

QUÆSTIO MEDICA

PRO BACCALAUREATU MANE DISCUTIENDA

In almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ.

Die 18. Martii ann. 1713.

R. D. ANTONIO DEIDIER

Professore Regio, Præside.

An partui difficili Hysterotomotokia?

HUMANUM ovum aurâ seminali fecundatum ab ovario separatur, ab adjacentis tubæ fimbriis veluti manu prehensum in ipsius canalem protruditur, vermiculari canalis motu in uteri cavum propellitur; ibi singulæ illius partes adeò crescunt, ut quod sensibus latebat exiguissimum hominis corpusculum reddatur sensibile; tunc foetus dicitur. Aquis immersus per funiculum umbilicalem necitur involucris,

unde chylum haurit. Involucrum exterius, emissis radiculis, placenta dicitur, & utero adhærescit, à quo recipit lac uterinum fœtui transmittendum. Humores à matre ad fœtum indefinenter fluunt, nunquam verò à fœtu ad matrem refluent. Placentæ vascula circa nonum mensem humoribus turgida ita distenduntur, ut illorum extrema versus truncum retracta ab utero separari cogantur gravissimis matris doloribus. Sic mechanicè fluunt spiritus majori quantitate ad uterum, ad musculos abdominis, ad diaphragma. Hæc vehementer contrahuntur. Fœtus involucra disrumpuntur, & contentum liquorem effundunt. Partes obscenæ laxantur. Viæ lubricæ fiunt. Musculosæ uteri fibræ orificio circumjectæ aperiantur. Fœtus ad vulvam protrahitur. Hunc sequuntur secundinæ. Cunctaque ad partum disponuntur modò facili, modò difficili. Est facilis, dum absque doloribus solito gravioribus, & sævâ symptomatum vehementia proles nascitur.

Partus censetur difficilis, qui gravissimis doloribus, delirio, convulsionibus, lethali sopore, aliisque symptomatis stipatur. Dolorum vehementia rigescunt cerebri fibræ, fit delirium; spiritus inordinate pelluntur, fiunt convulsiones. Dolorum diuturnitate prosternuntur vires, spiritus minori quantitate secernuntur, parcius distribuuntur, fit sopor. Gravidus uterus in adolescentulâ tenuis ac debilis, & angustior vagina non possunt sufficienter dilatari, nec debite contrahi ad fœtus exclusionem. In vetulâ rugosæ partes constringuntur, exsiccantur, sic fœtus & matris conatus eludunt. Idem dices de obesis, quarum uterus & vagina vix dilatationem patiuntur. Erit difficilis partus, si gravida laboret vesicæ calculo, vel hæmorrhoidibus tumefactis; si illius intestina induratis excrementis sint nimium infarta; si uterus inflammatione, ulcere, schirro, aliove tumore afficiatur; si sit vaginæ prolapsus; vel si ossa pelvim constituentia malè sint conformata. Concurrit fœtus ad partum difficilem, dum magno vel duplici capite, crassiori vel monstroso corpore uteri orificium permeare nequit. Dum crassioribus involucris nondum disruptis undequaque obvelatus pellitur ad exclusionem: dum ipsius nates, dorsum, pectus, vel imus venter prius excludenda se produnt: dum unicâ manu, vel alterutro pede penitus exclusis, exire conatur. Extinctus vel immotus fœtus difficilius excluditur, quàm vivus & calcitrans.

Ut partus difficilis refundatur in gravidam, istius vires explorentur; ætas & constitutio perpendantur, pudenda cum vicinis partibus examinentur. Debiles arguunt vires prægressi morbi, pulsûs debilitas, pallida facies, extremorum frigiditas, & diuturnus sopor. Hæc puerpera variis torquetur doloribus, qui per plures dies sæviunt, per longa intervalla recurrunt, & ad dorsum vel inguina, potius quàm ad pudenda terminantur. Tenerior vel provectior parturientis ætas, & pinguedinis excessus per se dignoscuntur. Angustari pudenda ab innato tumore intus genito, à vaginæ proci-dentiâ, à vesicæ calculo, ab hæmorrhoidibus, vel ab induratis alvinis fœcibus, explorante tactu & propriis horum morborum signis manifestum fit. Fœtum grandiori capite donari suspicaberis, dum caput per liberas uteri & pudendorum vias validis conatibus inutiliter propellitur. Præposterum

excludendi fœtus solum Simplici tactu cognoscēs. Mortuum in utero fœtum argues ex defectu calcitrationis; mamma prius tumefacta subito flaccescunt; gravida hæc, dum se se convertit de latere in latus, percipit fœtum lapidis instar revolvī ab unâ parte in alteram.

Difficilis partus est semper fœtui, & gravidæ periculosus, interdum letalis. Periclitatur fœtus, qui semel ab utero separatus, tardius excluditur. Qui disruptis involucris & excluso solo capite diu retinetur, extingui potest ab uteri orificio arctius constricto. Parturienti omnia sunt periculosa. Dum placenta violenter separatur, majora uteri vasa sanguifera dilacerantur, excedens sanguinis copia effluit per vulvam cum vitâ parturientis. Dum fœtus laboriosè excluditur, orificium uteri sic subito distenditur, vulva adedò vehementer dilaceratur, ut dolorum vehementiâ extingui possit puerpera. Certò peribit, si excludendus fœtus, vel illius secundinæ, aut notabiles illorum partes diu retineantur, & in constricto utero putrescant. Fœtus qui præ nimia mole nonnisi per partes educi potest, idedò necessariò moritur, quia nasci debet, & dum ipse nascitur plerumque matrem enecat. Qui per insuperabilem viarum angustiam, nec integer, nec discriptus educi potest, ut plurimum auxilii defectu perit cum ipsâ matre. Mater hæc idedò præcisè moritur, quia non fit nova mater.

Secetur vena in omni partu laborioso dum ferunt vires. Hoc auxilio sanguis liberiùs circulatur. Debiliora placenta vasa promptiùs ab utero separantur. Uteri textus validiùs contrahitur. Magis ordinantur successivæ contractiones diaphragmatis & musculorum abdominis. Libera quoque vagina faciliùs cedit impulsionibus, ac ulteriùs dilatatur. Quæ fœtus exclusioni obstant involucria ungue disrumpantur, ut effluat contentus humor. His disruptis, situs conveniens tribuatur Infanti nascituro. Is sincipite viam querat, prono vel supino Capite cum Brachiis depressis. Si solæ nates se prodant excludendæ, fœtus educatur duplicatus. ¹ Dum pedem sentis primò excludendum, retine ad uteri orificium, donec alium reperiās, ut pedes simul educas. Dum in vaginali ductu unicum reperis pedem, cujus tibia & Crus ab uteri orificio penitus egressa sunt, totum exclusum membrum intus repelle; Si repelli non possit, dilaceretur; Dein reliquæ fœtus partes seorsim discriptæ educantur, donec totum habeas fœtum cum annexis involucris. Similiter extrahendus fœtus integer vel divisus, cujus monstruosum caput exclusionem præpedit. Varia interim pharmaca præscribantur. Aegrè parturientis vires sustentant, corroborant, augent soluta in vino generoso recens confectio de hyacinthio, theriaca vetus, alkermes inodora. Partum fovēt, juvant, accelerant, uterum movendo, simplex sabinæ decoctum, elixir Proprietatis paracelsi Sine acido compositum, oleum gagatis distillatum. Immoderatum per vulvam sanguinis effluxum cohibet hypecacuanā. Delirium & convulsiones mitigant narcotica prudenter usurpata. Strictam alvum laxat enema purgans. Soporē discutit emeticum. Verum si consuetæ partus viæ penitus angustentur grandiori & adhærenti calculo vesicæ, insanabili vaginæ prolapsu, immedicabili schirro, insuperabili vitiosa cœsum conformatione & similibus:

N^o Si manus unica, vide an adducto à te brachio caput simul excludere possis, si non possis, manum & brachium repelle, expectans novum situm.

4

Si jam consueta auxilia incassum usutpaveris. Quid facto opus? an tu otiosus & velut mortis impatiens Christianus expectabis gravidam extinguere, ut illico cadaveris ventrem aperiri jubeas, & arte exclusum foetum Baptises? Sed plerumque, secto Cadavere, inclusum reperitur Cadaver. Annon satius erit, & Christiano dignius robustæ adhuc gravidæ ventrem & uterum dexterâ manu Secare, ut vitalis proles viventi matri conservetur: hanc viventis uteri sectionem vocarunt græci hysterotomotokiam, Latini verò partum Cæsareum, quia Cæsarem Sic è Sinu matris eductum referunt historiarum. Est operatio chirurgica, quâ tumentis abdominis Latus umbilicale Secatur, & uterus aperitur, ut foetus ac secundinæ eximantur. Dein sectus uterus constringitur, per se Sanatur; Reliqua verò vulneris labra per gastroraphiam justè aptata uniuntur. Godarti uxor hac Sectione Sex habuit pueros vivos, diversis temporibus, operante Chirurgo Giuliet, & referente Francisco Sinchez, dum viveret, in academiâ Tolosanâ Professore Regio Dignissimo: idem Testatur Roussel author Clarissimus, qui plurimas mulieres numerat non modò salvas, sed quæ deinceps conceperunt, ac pepererunt

Si non ergo difficili, saltem impossibili partui hysterotomotokia.

DISPUTATURI

PROFESSORES REGII

R. D. Franciscus Chicoyneau <i>Cancellarius</i>	❧	R. D. Petrus Magnol.
	❧	R. D. Petrus Rideux.
R. D. Joannes Chastelain <i>Decanus</i> .	❧	R. D. Antonius Magnol <i>Patris</i>
R. D. Joannes Bezac.	❧	<i>Coadjutor.</i>
R. D. Petrus Chirac.		

Doctores Aggregati

R. D. Joannes H. Haguenot.	R. D. Henricus Haguenot <i>Patris Coadjutor.</i>
----------------------------	--

Doctores Ordinarii

M. Mauricius Pelerin.	M. Eustachius Marcot.
M. Antonius Fizes.	M. Joannes Bouillet.

Propugnabit JOANNES MAILHES Francopolitanus apud Ruthenos, Artium Liberalium Magister & jamdudum Medicinæ Studiosus, ab horâ octavâ ad meridiem, die 18. mensis Martii 1713.

MONSPELII, Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis,
Cleri & Urbis Typographum 1713.

Illegible text block at the top of the page, likely a preface or introductory section.

DISPUTAZIONI

DEI PROFESSORI

Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...

Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...

Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...

Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...
Il Prof. ...